



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Paulinus Episc. 22. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. PAULINUS EPISC. 22. Iunii.

NOVAM artem PAULINVS docuit; etiam cum nihil est, egenis tamen aliquid dare. Cum enim in amplissimâ natus familiâ atque ditissimâ, quam vocem CHRISTI adolescens Evangelicus non audiret, hic audisset, & in pauperes omnes opes erogasset, Antistes dein Nolanus etiâ, cum Wandalorum incursionibus Italia infestaretur, omnes redditus captivis in libertatem asserendis contulisset, jamque nihil suppetere videretur, unde unam spem viduæ filium redimeret; ingeniosius se ipsum servum feminæ addidit, quæ abductum in Africam cum filio scilicet permutavit. Ibi Regis socerum, cujus hortos curabat, de morte regis commouit. Hic accersitum ubi primùm vidit, illum ipsum esse exclamavit, quem nuper inter cæli tribunalia conspicuum habuisset, qui que flagellum, quod ad castiganda orbis scelera quondam acceperat, è manu rapuisset; quare & ipsum, & cum eo omnes vinctos Nolanos remisit, navesque in donum frumentarias complures addidit. Nola igitur ingressus, pulchrum de servitute triumphum egit, pluribus eum civibus, quam Scipionem pileatis sequentibus. Sed liber animus corporis adhuc ergastulo clausus tenebatur. Tandem anno CCCC. XXXI. hic etiam vindicias secundum libertatem à morte accepit. At tunc Nola, imò Italia iterum captam se putavit, libertatis suæ auctore amisso. Ex Dial. S. Greg.

Nihil tam divinum homo habet, quàm de aliis bene mereri tametsi ille majora, hic minora beneficia cõferat; uterq; nimirum pro suis viribus. Fac, calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. S. Greg. Naz. de amore Pauper.